existentes suas proprias, tam vigore Iuris natura-
lis post Parentes suos, quam Iure successivo post
quasvis personas se Recognoscentem modo quovis
concernen[tes], cum omni praemissorum Iure, proprietate,
competentiaq[ue] et praerogativa quavis, omnibusq[ue] et
singulis, rerum earundem mobilium Utilitatibus, fru-
ctibus, proventibus, reditibus, commodis, emolumen-
tis, obventionibus, attinentiisque et pertinentiis
generaliter Universis, nihil ex praemissis Iuris
proprietatis ac cuiusvis competentiae et praerога-
tivae pro se Recognoscente suisque Successoribus,
aut quopiam alio reservando seu excipiendo, Ve-
rum prout praemissa omnia se Recognoscentem con-
cernebant ac eidem legitime serviebant. Iam ex
nunc et de facto suprascripto Generoso Alexan-
dro Stethiewicz Subdapifero Smolenscensi Ma-
rito suo, eiusque Posteris dedit, donavit, inscripsit
et resignavit, prout dat, donat, actitulo Iuris me-
rae et irrevocabilis Donationis, inscribit, et re-
signat praesentibus. Per ipsum Generosum Subda-
piferum Smolenscensem Donatarium suum eiusq[ue] Po-
steros res easdem mobiles generaliter omnes prae-
sentibus donatas, cum Universis earum Utilitatibus
et Ususfructibus competentiaq[ue] et praerogativa qua-
vis tenendi, habendi, et possidendi, illisq[ue] quie-
te et pacifice utifruendi, ac ad suos suorumq[ue] Suc-
cessorum quosvis bene placitos Usus fructus libe-
re et effectualiter convertendi Inscriptionis prae-
sentis Donatariae vigore.

Czerminskie Coniuges

1740

differunt solutionem Summarum M. Ostrorogowey

Comparentes personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premysliensibus Magnifica Marianna de Zmigrod, olim Magnifici Andreae Comitis in Ostrorog Capitanei Garwolien[sis] Consors relicta vidua ab una et Generosi Stanislaus Czerminski atque Sophia de Swiezyn Coniuges Legitimi, parte ab altera, sani mentibus et corporibus existentes, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, praesentique Castrensi Capitaneali Premysliensi Iurisdictioni quoad Actum hunc pertinet, se cum Successoribus, Bonisq[ue] suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo, palam, libere, publice ac per expressum recognoverunt, et quilibet illorum seorsim, et praesertim Consors Generosa Czerminska cum eiusdem suprascripti Mariti sui, uti Tutoris Coniugalis authoritate et assistentia recognovit. Quia suprascripta Generosa Czerminska, solutionem Summarum infrascriptarum, ut pote Summae Quinque Millium et Ducentorum Florenorum Polonicalium in Unum copulat[orum]; tum Vadii Quadruplicis Capitanealis, ac Poenae Duplicis Quatuordecim Marcarum Polonicalium sibi Recognoscenti Decreto Tribunalitio Regni Lublinensi de Actu Feria Quarta post Dominicam Misericordiae proxime praeteritam proxima Anno praesenti adiudicat[arum], hinc et ab Actu praesenti ad Festum

ad Festum Sanctorum Trium Regum in Anno Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo secundo proxime incidens venturo differt, et prorogat. Quam Summam suprascriptam cum Vadiis Capitanealibus atq Poenis huius, vigore Decreti suprascripti Tribunalitii, sub vigore in eodem Decreto Tribunalitio expresso, se suprascripta Magnifica Capitanea Darnoliensis cum suis Successoribus pro Die suprascripto, in et super Bonis suis generaliter omnibus, haereditariis et obligatoriis, mobilibus et immobilibus, Summisq pecuniariis quibusvis habitis et habendis soluturam inscribit. Conservando Terminum sibi Recognoscentibus talem, qualem ad praesens habere debuerant Nullius partium Iure laeso. Hac sua praesenti personali Recognitione ad praemissa omnia mediante.

Feria Sexta post Festum Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae proxima, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Primo.

26/V

Wasilowski Consorti suae advitalitatem inscribit.

Comparens personaliter coram Officio, et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premysliensibus Generosus Nicolaus Wasilowski sanus mente et corpore existens a Terris, Districtibus, Iuribus Iurisdictionibus suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premysliensi Iurisdictioni quoad Actum hunc attinet, se cum Successoribus ac Bonis suis 743